

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 38982/06 CG

N – NN – NNN

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

DECRETUM

Bina pronuntiatione affirmativa ob exclusum bonum prolis ex parte viri actoris in causa de qua supra prolata, mulier conventa ad Rotae Romanae Tribunal provocavit ad novum causae examen obtainendum. Quo denegato per decretum rotale coram R.P.D. N. die 6 octobris 2005 latum, ipsa conventa ad H.S.T. recurrit, quaedam argumenta ulterius exhibens.

Viro actore de re certiore facto atque obtentis tum memoriali Cl.mae Advocatae ex officio partis recurrentis tum animadversionibus Rev.mi Defensoris Vinculi tum voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Pro comperto habito quod canonis 1452, §2 praescriptum iudici onus imponit ut partium neglegentiam in afferendis probationibus suppleat tantum si id ipse iudex «necessarium censem ad vitandam graviter iniustum sententiam»; quod revera in casu non evenit, cum

- iudices primae curae aptum probationum instrumentarium pree oculis habuissent atque iuxta pernotum effatum «Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet» (Reg. 31, R.J. in VI°);

- contradictiones inter partium depositiones a Rev.mo Defensore Vinculi assertae pluribus elementis in iisdem concordantibus superentur;

Cum ne sermo quidem esse possit de iure defensionis violato, eo quod Iudices alterius instantiae, haud obstantibus animadversionibus nomine partis conventae coram foro appellationis productis, causam ad ordinarium non admiserunt;

Perspecto quod recte admodum rotale impugnatum decretum responsum dedit allatis recursus motivis sive quoad defectum credibilitatis in actore (cf. n. 7, pp. 5-6) sive quoad defectum probationis in decisione (cf. n. 10, pp. 8-9), quodque proinde confirmandum est;

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 38982/06 CG

Considerato quod assertus moralitatis defectus in actore in agrum intentionum actoris recidit, de quibus non iudicat praetor, vel credibilitatis, de qua iam fuse ac recte in decreto impugnato;

Perpenso quod attestations medicae nuper productae impares evadunt probatae intentioni adversus prolem ex parte actoris impetendae; nam partim

- cum praefata intentione concinunt, quippe quae partis conventae diuturnam pastillorum assumptionem, qui conceptionem impediunt, probent, et hoc etiam in adiutorium probationis ex parte actoris;

- nihil legitime probant de intervallis absque eorundem pastillorum assumptione transactis;

- cum optione concordant quam vir actor proposuit parti conventae inter abortum et separationem;

Animadverso quod epistulae nuper porrectae, a producendis testibus conscriptae, vel ad rem non faciunt vel facta referunt in tempore haudquaquam determinato collocata vel actori favent;

Cum, denique, argumenta allata nec gravia nec nova haberi possint ad probabilem eversionem decisionis pro nullitate latae reddendam;

Viso art. 122, n. 2, Const. Apost. *Pastor bonus*;

Re sedulo perpensa, in Congressu coram infrascripto Praefecto die 25 septembris 2009 habito,

decrevit:

Novam causae propositionem in casu non esse concedendam esse atque facto non concedi.

Cl.mae Advocatae ex officio solvatur ex arca H.S.T. summa 300 EURO pro gratuito patrocinio in favorem partis recurrentis suscepto.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

SUPREMUM SIGNATURAЕ APOSTOLICAE TRIBUNAL

Datum Romae, e sede Supremi Signaturaе Apostolicae Tribunalis, die 25
septembris 2009.

+ Raimundus Leo BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o. praem., *Secretarius*